6
25-B
8
6
14 0
16
h
6-25.B.8

CHRISTOPHORI HELVICI
VIRI CLARISSIMI,

THEATRUM
HISTORICUM ET CHRONOLOGICUM,

Æqualibus Denariorum, Qvinqvagenariorum
& Centenariorum intervallis;

Cum assignatione

IMPERIORUM, REGNORUM, DYNASTIARUM, REGUM, ELECTORUM, PRINCIPUM, PONTIFICUM ROMANORUM, NEC NON ET TURCICORUM IMPERATORUM

Aliorumqúe Virorum illustrium, celebrium, Prophetarum, Theologorum, Jureconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poetarum, Hæreticorum, Rabbinorum, Conciliorum, Synodorum, Academiarum, &c. itemque usitatarum Epocharum, digestum, &

Nunc de novo recognitum, plurimis in locis auctum, emendatum, &, adjectis hujus Temporis Eventis memorabilibus & Historiis observatu dignioribus, continuatum

à

JOHANNE-IUSTO WINKELMANNO,
Consiliario & Historiographo Hass. & Oldenburgico.

Opus ad omnium Facultatum studia ita accommodatum, ut universa Temporum & Historiarum series à primo Mundi Exordio ad Annum M. DC. LXVI. quasi in speculo videri, & mente complecti possit.

EDITIO QVINTA.

BIBLIOTECA NAZ ROMA

M. DC. LXVI.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Sumptibus Viduæ CHRISTIANI KLEINII.
Typis Balthasaris-Christoph. Wustii.

PROSAPIÆ AVITÆ CLARITATE,
DIGNITATIS AUTHORITATE,
VIRTUTUM OMNIUM SPLENDORE,
ERUDITIONIS PROFUNDÆ DECORE,
MERITORUMQVE PLURIMORUM VALORE,

SERENISSIMO, POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. FRIDERICO TERTIO,

DANIÆ,
NORVEGIÆ,
VANDALORUM,
GOTHORUMQVE
MONARCHÆ,
ET
PRIMO REGNORUM HÆREDI,
SLESWIGÆ,
HOLSATIÆ,
STORMARIÆ,
ET DITHMARSIÆ
DUCI:
OLDENBURGI
ET
DELMENHORSTI
COMITI, &c.
REGI
CHRISTIANISSIMO,
SUORUM
CONSERVATORI,
LIBERATORI,
AUGUSTO,
PACIFICO.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

UT ET
REVERENDISSIMO, SERENISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. CHRISTIANO ALBERTO,

EX REGIO STEMMATE ORIUNDO,
ELECTO LUBECCENSIUM EPISCOPO,
HÆREDI NORVEGIÆ.
DUCI
SLESWIGÆ,
HOLSATIÆ,
STORMARIÆ,
DITHMARSIÆ,
COMITI
OLDENBURGI
ET
DELMENHORSTI, &c.
PRINCIPI
JUVENTUTIS FLORENTISSIMO,
A PIETATE, LITERIS ET EXERCITIORUM ELEGANTIA,
COMMENDATISSIMO,

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS,

CUM VOTO VETERI
VT
IN
DEI T. O. M. LAUDEM,
ECCLESIÆ CHRISTIANÆ USUM,
REIPUBL. LITERARIÆ EXEMPLUM,

FELICITER, FORTITER ET CONSTANTER
AGANT, REGNENT, ET VIGEANT!

HOC
SUBJECTISSIMÆ VENERATIONIS
MONUMENTUM
L. M. Q.
D. D. DD.

obedientissimus
Johan-Justus Winkelmannus.

HISTO-

HISTORIARUM ET CHRONOLOGIÆ CULTORIBUS

S. P. D.

Vanta inter Chronographos in ſuppuratione temporum olim fuerit difficultas, diſcrepantia, & varietas, neminem eſſe reor virorum doctorum, qui id ignoret aut diffiteatur. Cùm itaque Temporum obſervatio velut Cynoſura quædam ſit, quæ Studioſos, in pelago Hiſtoriarum verſantes, regit & adjuvat, ut expeditiùs, certiùs, & majore cum ſuavitate & jucundiſſimo fructu ad portum ſtudii Chronologici optatum pervenire queant; Exinde eruditi rerum Chronologicarum Viri, inter quos *Joſephus Scaliger*, *Dionyſius Petavius*, *Laurentius Codomannus*, *Sethus Calviſius*, *Michael Maſtlinus*, *Johannes Funccius*, *Henricus Pantaleon*, *Johannes Rehmius*, *Chriſtophorus Helvicus*, & alii; qui antequis omnibus Palmam præripuerant, curioſâ animi contentione eò collaborarunt, ut calculum Chronologicum ex dubitationum fluctibus eriperent, confuſiones rerum & Temporum per gratiſſimum conſenſum ſtabilirent, & accuratam & perfectam Chronologiam invelligarent. Verùm uti in rebus humanis nihil omni ex parte beatum eſt; ita in foro Chronologico adhuc pauciſſimi inveniuntur, qui inter ſe conſentiant.

Domino *Dionyſio Petavio* Aurelianenſi, Chronologo, Hiſtorico, Aſtronomo & Philologo excellentiſſimo, *Joſephi Scaligeri* quidem adverſario acerrimo, verè autem Viro maximo, in Chronologia ſua & Doctrina Temporum, debita perſpicuitatis quidem laus non deneganda eſt, quam incredibili multorum annorum ſtudio & labore in abſolutæ ſcientiæ formam redegit, prout ipſe Petavius in Epiſtola Dedicatoria gloriatur. Neque eadem hæc laus, eaque longè majore veritatis Chronologicæ tam ſacræ quàm profanæ ſtudio vero conjuncta, *illuſtri Joſephi Scaligeri* quoque ſcriptis denegari poteſt, quippe qui Chronologus inter Primos noſtri Seculi, de Emendatione Temporum ſcripſit & arduam omninò & à pauciſſimis tentatam rem opere ipſo perveſtigavit. Cujus aurei Libri quidem à multis carpuntur, ſed à pauciſſimis intelliguntur, ut non immeritò ipſe in Iſagogicorum Canonum fronte, velut officinæ ſuæ foribus, affixerit: Ελευθερίων μαθημάτων καὶ παιδοπρεποῦς παιδείας ἄμυητος καὶ μύστις εἰσίτω. *Nemo niſi liberalibus Diſciplinis & omni eruditionis genere excultus accedat.*

Illuſtris Scaligeri Calculum, propter Ejus Chronologiæ evidentiſſimam certitudinem, probatiſſimi Chronologi amplectuntur, cujus fideliſſimus Imitator fuit Dn. *Chriſtophorus Helvicus* p. m. eximius S. S. Theologiæ Doctor, incomparabilis Hiſtoricus, exactiſſimus Chronologus & abſolutiſſimus Philologus, rerum & circumſtantiarum Obſervator accuratus, Linguarum Cardinalium peritiſſimus, in Scriptis tum ſacris tum profanis verſatiſſimus, Homo multarum lectionum, & laboris patiens, utpote qui pro ſingulari ac innato rerum Hiſtoricarum amore & ſtudio Anno Chriſti 1609. ex variis fide dignis Hiſtoricis, labore gravi, THEATRUM hoc HISTORICUM ſcripſit, in eoque omnia omnium Gentium & Populorum, omnium Ætatum, omnium Regnorum Acta & Facta nov-antiqua, memorabilia, per univerſum orbis ambitum in certas temporum claſſes & exquiſitas cellulas diſtribuit, ut Hiſtoriarum & Chronologiæ Cultor Regum vel Principum ſucceſſiones uno intuitu ſimul univerſas intueri, hoc Theatrum eò facilius & rectius, ſine confuſione & errore, cum uberiori fructu perluſtrare, commodeque eo uti, & de eodem rectè judicare poſſit. Parvus liber eſt; neque enim in quantitate, ſed bonitate rerum Nobilitas conſiſtit. Nulla pulchrior ſpecies eſt Doctrinæ, nulla gratior, nulla prorſus jucundior, cui quidem elogio non Germani modò libenter ſubſcribunt, ſed Galli quoque & Hiſpani, Itali & Angli, Dani & Sueci, Poloni atque Hungari, Helvetii denique & Belgæ, quos omnes Helvicus noſter equiſſimos habet æſtimatores & judices, publicè privatimque ſuffragantur, & copiæ brevitatem, & ingenioſam rerum novitatem admirantur.

Multi admirati ſumus indefeſſum ſtudium, ingentem labrem, acre judicium. Admiratus eſt Parens meus B. M. *Doctor Johannes Winckelmannus*, qui de more Majorum collegæ ſui exequias funeris diſertiſſimâ Oratione ex pio officio celebravit, & in Carmine quodam Academico manuſcripto hoc elogium reliquit.

An verò HELVICI nomen latitavit in antro
Obſcuro? Quem præproperè hinc mors ſuſtulit atra
Completis luſtris ſex cum trieteride bina,
Lingua Hebræa cui, Chaldæa, Pelaſga, Latina,
Ac Cognata illis idiomata nota ſuêre
Inſtar Teutonicæ, hinc divinæ oracula Legis
Enarrare, atque obſtruſos evolvere ſenſus,
Et corruptelas recutitæ tollere gentis,
Doctus erat, Rabbinorumque refellere ſcriptis.
Thalmudicos etenim libros Rabbinaque ſcripta

Triverat: Est, hostem propria obtruncare sarissa,
Res magna: HELVICVS multùm qua præstitit arte
Theologus: sed & Historicus rem combibit omnem
Historiæ, cujus monimenta perennia liquit,
Est opus eximium res per sua tempora gestas
Digerere; & mundi per secula currere certo
Ordine, ut intuitu capias ab origine prima
Tempus ad hoc præsens toto quod contigit orbe.
Hæc lux Historiæ est ingens, hinc sensibus imis,
Historia imprimitur, si quid quo tempore gestum est,
Quove loco constet: Contrà confusio rerum
Gestarum mentem impedit, & rapit in labyrinthos.
Verùm accuratè ut Chronicon sic scribere laude
Dignum Opus est: labor, ingenium, solertia mentis
Sic in eo lucent: Sunt rara hæc dona IEHOVÆ!
Tam præstans opus HELVICVS de divite mentis
Deprompsit Gaza, Chronicong; ab origine mundi
Ad nos perduxit, vix scriptum ætate virili.
Quid? studium omne suum ad communem rettulit usum,
Linguarum latè Præcepta vagantia quando
Sollerti ingenio brevia ad compendia traxit,
Hoc agitans vigili cura ut studiosa juventus
A primis annis certo ordine, tempore cunctos
Ad sibi præfixam posset contingere metam.
Sic DEVS HELVICO tot munera contulit uni,
Omnia quæ vili nunc sunt tumulata sepulchro,
Nam Deus ingrato sua subducit bona mundo.

Clarissimus Dn. *Georgius Calixtus* S.S. Theol. Doctor, Primarius Professor Academiæ Julix *in apparatu sive introductione in studium & Disciplinam SS. Theologiæ, pag.* 175. inter alia ita scribit. Satius fuerit auctorem bonum deligere, quem sequaris. Mihi in plerisque placet *Josephus Scaliger*, quem è nostris quoque exprimunt *Sethus Calvisius* & *Christophorus HELVICVS*, Vir eruditissimus, cujus Theatrum Chronologicum, si rectè adhibeatur, Studiosis magno poterit esse usui. *M. Eusebius Bohemus in Epitome Historiæ Ecclesiasticæ Novi Testamenti, pag.* 72. *& seqq.* aureum hoc Historiarum Opus ita studiosæ juventuti recommendat. CHRISTOPHORUS HELVICUS SS. Theologiæ Doctor, ejusdem & Hebrææ Linguæ in incluta Academia Gissena Professor Publ. singulari fidelitate, dexteritate & optata brevitate edidit *Theatrum Historicum*, sive *Chronologia systema novum*, æqualibus Centuriarum & Decadum intervallis; cum dexterrimâ assignatione Imperiorum, Regnorum, Dynastiarum, Regum, aliorumque virorum celebrium, Propbetarum, Theologorum veterum & recentiorum, Jurisconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poëtarum, Hæreticorum, Rabbinorum, Conciliorum, Synodorum, Academiarum &c. Itemque usitatarum Epocharum, ita digestum, ut universa temporum & historiarum series, à Mundi origine ad annum Christi M.DC.XV. animo facilimè comprehendi & perpetuò circumferri possit. Hæc omnia in forma Tabellarum 39. ita sunt digesta, & miro sanè artificio disposita, ut uno intuitu omnia acta & facta unius anni quilibet facilimo negotio contemplari valeat. Spirat hic liber insignem certè eruditionem, industriam ingeniosam, laborem maximum, excellens artificium opusque Cedro dignum. Idcirco hunc omnibus doctis, qui historias ex parte jam ex aliis degustaverunt, commendandum duco. Ponderet postea judicia. Hoc Theatrum Historicum Anno Christi 1618. continuavit Dn. *Johannes Steuberus* Physicæ & Græcæ Linguæ Professor in Acad. Giessensi publicus usque ad annum dictum. Hæc sunt honorifica quædam de Helvico testimonia, sed cùm vino vendibili non opus sit hederâ, plura non addo: Notus enim est Autor, in manibus est, in ore hominum, in usu Ævi. Cæterùm cum propter Exemplarium priorum inopiam magni Viri mecum, Editorem & Continuatorem hujus Theatri frustrà hactenus desiderarent & expectarent, ego tandem, nolens volens, hoc Theatrum denuò divulgare constitui, à mendis Typographicis purgavi, alienis laboribus meos junxi, necessariis in locis hinc inde auxi, recentiora, quæ ibi omnia desiderabantur, bonâ fide annexi. & in id sedulò incubui, non ut saleam in alienam messem mitterem, aut inanem gloriolam ex alienis plumis captarem, sed ut publicæ utilitatis gratiâ, necessitate flagitante, & correctiùs & nova continuatione auctius prodiret, & hâc ratione multorum Fautorum expectationi & voto satisfieret. Placuit quoque computationem ad Annum 1670.

continua-

continuare, ut Benevolus Lector Acta & Facta suo tempore huc pertinentia addere possit. Tuum est B. L. studium istud nostrum qualecunque brevi consulere. Vale & ignosce calamo meo festianntissimo. Dabantur Oldenburgi 29. Augusti, Anni Christi 1665.

Admodum Reverendus & Excellentissimus Vir

Dn. CHRISTOPHORUS HELVICUS. SS.
Theologiæ D. ejusdemque & Linguæ Hebrææ Professor
celeberrimus.

NATUS

SPRENLINGÆ, in Loco Triquetrorum Anno 1581. d. 26. Decembr. Viro Reverendo & Doctissimo Dn. M. CHRISTOPHORO HELVICO, Pastore illius Loci, & ELISABETHA, Matronâ honestissimâ, parentibus.

Fundamentis Studiorum positis

Apud Parentem primùm, deinceps & Francofurti sub Baderi Disciplina, ad XIII. ætatis annum.

Marpurgum profectus

Eâ ætate ad lectiones publicas receptus, statim Distichis Catonis Græco Carmine redditis; XIV. ætatis anno, perraro exemplo, BACCALAUREATUS gradum consecutus; Mox XV. ætatis anno in documentum etiam peritiæ Hebraicæ, Evangeliis Dominicalibus in Hebræam Linguam translatis, quadriennio post, quod citius poterat, Promotore D. JOHANNE HARTMANNI, tum temporis Mathematum Professore, ibidem MAGISTERII honores consecutus, primo inter XXII. competitores loco; Nactus jam etiam eodem anno Stipendiarii MAJORIS officium. Inter fervens Theologiæ studium, linguas, artes & scientias Philosophicas in privatis Collegiis docuit, semper exemplum diligentiæ, modestiæ, humanitatis, pietatis.

Ea Academia mutata, Anno 1605 Gissam pergens,

Et circa initium hujus, quod tum erat, Gymnasii, Linguæ GRÆCÆ & HEBRÆÆ: Et deinceps Anno 1610. Græcâ Professione dimissâ, Professor Theologiæ; Et porrò, volente ita illustrissimo ac celsissimo Principe Dn. LUDOVICO Hassiæ Landgravio &c. Promotore Viro admodum Reverendo & Clarissimo Dn. BALTHASARE MENZERO, &c. Anno 1612. ejusdem Doctor factus.

Novæ Didactices amore

Eodem anno, de voluntate præmemorati Principis nostri Francofurtum: Postea Augustam Vindelicorum profectus: atque inde rediens, Hebraicè disputando, perorando, brevissimâ Methodo Linguam istam docendo, varias linguas in compendiosa systemata redigendo: Excellentia ejus rei, post incredibiles labores, specimina edendo.

Scriptis editis & edendis

Ad immortale sui nomen clarissimus: Columen & lumen & Academiæ & totius Reipub. Literariæ splendidissimum.

Editi Libri Didactici sunt

I. Grammatica universalis continens ea, quæ omnibus linguis sunt communia II. Dialectica modum docendi præscribens III. Compendium Grammaticæ Latinæ IV. Græcæ V. Hebraicæ VI. Chaldaicæ VII. Syriacæ, cum suis elementalibus & residuis, quæ ipse ita vocat. VIII. insuper conscripsit etiam Lexicon Hebraum IX Latinum.

Historici

I. Synopsis Historiæ universalis ab origine Mundi per quatuor summa Imperia, quas Monarchias appellant, ad annum usque M. DC. XII. Liber certè utilissimus & instar ideæ Historiarum Compendiariæ, quæ est quasi Cynosura, ad quam omnia in Historiarum monumentis occurrentia dirigi possunt. II. Theatrum illud Historicum per Tabulas Chronologicas, in quibus exemplo antea non viso omnia uno intuitu lectorum oculis subjiciuntur. III. Eruditæ Dissertationes Chronologicæ de quatuor Monarchiis, IV. De septuaginta hebdomadum Danielis supputatione. V. De Cyro, aliisque Persarum Regibus &c. contra Danielis Angelocratoris opiniones.

Poëtici

I. Oratio Latina de Nativitate Jesu Christi. II. Liber de Ratione Carmina Græca conscribendi.

Theologici

I. Dissertatio de Paraphrasi Bibliorum Chaldaica. II. De Christi Deitate adversus Photinianos. III. Lexicon Rabbinicum IV. Desiderium Evæ V. Idea Theologica VI. & Precationes Germanicæ puris scripturæ verbis conceptæ.

Vir

Ob eximiam Linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ & Arabicæ, peritiam; insignem in rebus Criticis & Philologicis Perspicaciam; accuratam in Chronologicis & Historicis diligentiam; profundam & fundamentalem rerum Theologicarum notitiam, in religione sinceritatem in docendo dexteritatem, acutam in Philosophicis scientiis subtilitatem, in conferendo ingenii & judicii acumen maximum, aliasque Virtutes innumeras, incomparabilis.

Parens factus

Ex URSULA LUNCKERIA, matronâ honestissimâ Anno 1610. ductâ trium puerulorum, unius filiolæ, postea desponsatæ Dn. Johanni Balthasari Schuppio SS. Th. D. Clarissimo. Reliquis in sinum Abrahæ missis.

Febri Correptus XX. Augusti maligna & aucta

Post peccatorum pœnitentiam doctrinæ, & religionis suæ invariatam confessionem, SS. Cœnæ usum, rerum suarum dispositionem, cum toto ægritudinis tempore exemplum pietatis & patientiæ præbuisset omnibus.

Obdormivit in Domino

Pie & placidè, sine motu ac metu, ioter suas & adstantium preces & suspiria. Anno M. DC. XVII. die X. Septembris.

M. Tob. Phil. Epitaph. Ebrd. Reh Ulmens. in Lib. Epitaph. p. 130.

Hic ille HELVICVS, Sprendlingæ filius altus
Cervorum saltus qua patet adspicuus.
Hic ille HELVICVS, cui notum est, quicquid Hebræis,
Quicquid habet Latium, quicquid & Hellas habet.
Hic ille HELVICVS, qui sacrum quique profanum
Præclara callet dexteritate Sophos.
Hic ille HELVICVS, Tabulis claratus, ad orbem
Solerti appendit quas digito, Historicis.
Qualis hic & quantus? nimirum insignis HEBRÆVS,
THEOLOGVS, LATIVS, GRÆCVS & HISTORICVS.

AD LECTOREM.

DE DISPOSITIONE ET USU HUJUS SYSTEMATIS.

CHRONOLOGICUM hoc Syſtema, benevole Lector, nequaquam eo fine primitùs à me conſcriptum, ut publici juris fieret, ſed horis ſuccifivis in privatum uſum concinnatum, cum ut ſeriem Temporum ab Orbe condito memoriâ univerſim complecterer, tùm ut *Scaligeranam* methodum (eam enim potiſſimùm ſecutus ſum) cognoſcerem exactiùs, ſi qvando per ocium liceret, quod ne collocare meliùs eo tempore non poſſe perſuaſum habebam, hâc demum occaſione in lucem prodiit, ut dum in manibus mihi verſaretur, & fortè ab uno atque altero ex meis Dn. Collegis & amicis conſpiceretur, ii mihi auctores & hortatores fuerint editionis. Quam ob cauſam nec magnoperè excuſare hoc inſtitutum: neque etiam rationem reddere hujus operis, quippe alieni auctoris veſtigia ſecutus, cuiquam teneor. Sed tamen, ut methodi hujusce cauſæ ac rationes eò magis eſſent conſpicuæ, non alienum ab inſtituto exiſtimavi, ſi ipſis Tabulis, ubi per ſpacium paginæ modò liceret, easdem inſererem, & ſimul explicationem ac Hiſtorias vel è Scaligeri in Euſebium Animadverſionibus, vel aliis Hiſtoricis adjicerem. Qua in re non parum adjutus ſum Doctiſſimi Chrooologi Dn. SETHI CALVISII, amici mei honorandi, lucubrationibus, cujus laboriſum & exactiſſimè ſupputatum Chronologiæ opus meritò à Scaligero ſummoperè commendatur. Ubi ab ipſis deſtituebar, neque enim idem per omnia propoſitum habuêre mecum, alios aſſumpſi auctores, quorum nomina ſimul indicare operæ precium duxi. Cæterùm quoniam duplex eſt modus Chronologiæ contexendæ, Unus per Epitomen, quem Græci κατ' ὁμαδὰς appellant, ubi ſummatim Regnorum ſingulorum, Regum ac Rerumpublicarum anni collecti ordine recenſentur, qui modus in Synopſibus Hiſtoriarum vulgò obſervatur. Alter κατὰ πλάτος, per plenam annorum omnium expanſionem ac mutuam diverſorum Regnorum, Regumque, & Epocharum, inter ſe comparationem: poſteriori uſos nos eſſe liquet. Priorem, vel è Scaligeri Canonibus vel ex hoc Syſtemate, quilibet poterit conficere, neque enim operoſus eſt. At poſterior, ut omnia benè ſibi reſpondeant, rectèque inter ſe cohæreant, hoc opus, hic labor eſt. Neque curo, ſi vel hic vel iſte, mihi facile id fuiſſe dixerit, qui alterius veſtigia preſſerim. Peritos enim æſtimatores, qui harum rerum uſum habent, libenter feram judices. Ut autem plenius perſpiciatur, quid noſtrum propoſitum fuerit, procœmii loco diſtinctè de præcipuis, per Articulos aliquot, ſed breviter, agemus,

I.

DE ÆQVALIBVS CENTENARIORVM ET DENARIORVM Intervallis.

PRæcipuum, quod in prioribus Syſtematis meditationibus ſpectavit Author, fuit annorum à Mundo condito ad noſtra Tempora uſque per æqualia Centenariorum & Decadum ſpacia diſtributio, ob eximium ulum, qui inde reſultabat. Sic enim unumquodque geſtum, hiſtoriáve, quo anno Mundi vel Chriſti accidiſſet, quot annorum ſpacio ab hoc aut illo diſtaret, memoriter prorſus comprehendi ac pronunciari poterat, ſi quis modò ordinem ac ſeriem Regnorum principalium in ſingulis monarchiis ſibi feciſſet familiarem, quorum ductu Hiſtoriarum ſeries facilè in memoria dirigitur. Quævis enim pagina ſolidos centum annos exhibebat. Unde è regione alterius paginæ numerus correſpondens, ut exactè centenario diſtaret, neceſſum omninò fuit. Verbi gratia: Bellum Peloponneſiacum (anno Mundi 3519.) in fine ſecundæ cellulæ ſeu ſecundi denarii ponebatur. E regione in ſequenti pagina eodem loco ponebatur. Prælium ad Arbelam, quo Darius victus, & rerum ſumma ad Alexandrum pervênit. Unde conſtabat, initium Belli Peloponneſiaci & initium Monarchiæ Græcæ exactè centum annis diſtare. Eandem Monarchiam Græcam, Julius Africanus vetuſtiſſimus Chronologus, & ex eo Euſebius, ſcribunt duraſſe annos 300. Verum hoc eſſe oſtendebant hæ Tabulæ, paginis tribus revolutis usque ad Cleopatræ mortem. Regnum Perſicum, Dionyſius Halicarnaſſæus inquit, paulò plus annis 200. duraſſe: id quod liquidò in his Tabulis perſpiciebatur, cùm diſtaret illud duarum paginarum, & paulò ampliùs, ſpacio, à Monarchia Græcorum, quæ Perſicam inſecuta eſt. Ita conſequenter cætera omnia annorum intervalla metiri numerareque per paginas licebat, annorumque ſeriem diſtinguere, qui vel à Monarchiæ alicujus initio, vel memorabili aliquo caſu, ut Trojæ excidio, &c, vel à celebri quopiam Monarcha, ut Auguſto, Conſtantino M. Carolo M. &c. numerati, illuſtrem admodum, in Hiſtoriarum ſerie dirigenda, temporumque intervallis animo comprehendendis, facem præferunt. Eodem modo in ſingulis paginis, diſcernebantur intervalla annorum per lineas denariis interpoſi-

tas, quarum media geminata Quinquagenarium numerum designabat. Et quoniam Æra annorum Christi exactè in medietatem paginæ incidebat, sic enim Denarios Annorum Mundi datâ operâ disposuerat Autor, ideò Centenarii æræ Christianæ à media pagina numerabantur, ut hac ratione optima esset Epochæ Mundi cum Epochâ Christianâ convenientiâ, quantumvis verum Nativitatis Christi Tempus aliquot annis anticiparet, ut pòst dicetur. Nunc verò visum est, opus hoc Chronologicum aliâ formâ, in quâ quævis pagina cum eâ, quæ è regione ponitur, solidos quinquaginta annos exhibeat, producere, ut eum aliis libris in justum volumen cogi & commodiùs circumferri, nihilominus verò idem commodum exinde referri possit, cùm antehac vel separatim vel cum tabulis Geographicis, Theatro orbis Ortelii, aliisque grandioris formæ libris compingendum erat.

Unum hoc æquè, ac in prioribus editionibus, in hâc attendendum est, quòd in quatuor prioribus paginis per solos denarios progressus factus sit, mouadicis omissis, ne tot folia, historiis vacua, lectori obtruderentur, cùm iis temporibus, ante diluvium præsertim, nihil fide dignum, præter sacram historiam extet.

II.

DE EPOCHIS SEV TERMINIS, à quibus anni numerantur.

EPochas sive Æras nobiliores omnes, imò & cæteras plerasque, licet minùs auctoribus frequentatas, comportare ac inter se κατὰ πλάτος & comparare studui, ut in quoscunque Historicos quispiam inciderit, statim illos ad æras suas, quibus utuntur, accommodare & in seriem annorum Mundi referre queat. Nisi quòd æræ Turcicæ, quæ Hegira vocatur, & Persicæ Jezdagerd, &c. annos omisi, propterea, quod Lunares sint, nec ad Julianos Solares rectè accommodari, in tali quidem expansorum annorum serie, possint. Generatim autem præmonendum, ne in Ærarum invicem collatione judicium præcipitetur, verùm accuratissimè priùs in singulis consideretur anni initium. Neque enim existimandum est, Æras singulas à Calendis Januariis initium capere. Julianæ quidem periodi, & Julianorum annorum ut & Æræ Christianæ, caput est in Calendis Januariis: At cæteræ Æræ, vel à Februario, vel Martio, aut Aprili, Julio, Augusto, Septembri, Octobri, &c. annos ordiuntur, vel etiam per totum annum vagantur, ut Nabonassarei & Philippei faciunt. Quæ diversa initia diversarum Epocharum nemo non videt in legitima annorum collatione omnimò attendenda esse. Interim hoc observetur, ut ad nostram anni Julianam formam mensiumque ordinem omnia referantur. Sic passio Christi, quæ accidit Olymp. 202. anno 4. refertur juxta Julianum Calendarium in annum Mundi 3982. cui quidem Olympias 203. appositа conspicitur, iniens scilicet demum ab Augusto mense, quum eodem anno Juliano, mense Aprili (quo Passio contigit) olympiadis 202. annus quartus adhuc decurreret. Nunc de singulis earumque initiis in specie.

SEQVUNTUR ÆRARUM SINGULARUM initia, in conferendis Historiis probè observanda.

Æra Mundi conditi. *Duæ principales æræ, ad quas omnia in hâc Tabulâ respiciunt, sunt, à Mundo condito, & à Christo nato. De Mundi initio, quoad anni partem, sententiæ sunt diversæ. Nostra Tabula ex sententia Scaligeri ab autumno annos Mundi inchoant seu mense Octobri, ita videlicet, ut annus Mundi, Juliano anno appositus, intelligatur inire à præcedentis anni Julium Octobrem, & in præsentis anni Octobri terminari. Est quidem perinde, quocunq; mense Mundum ortum fuisse, quispiam sentiat: sed in accurato tamen Chronologico calculo, necesse est certum aliquem terminum figi, ut anni rectè inter se comparari queant.*

Periodus Juliana *artificiosissima, à Scaligero introducta non sine veteris auctoris exemplo, & aberuditis nostri seculi comprobata, ad nostram usitatam anni Julian formam decurrit. Constata est è duobus Cyclis, Solis & Lunæ, & Indictione. Cyclus Solis, ut notum est, 28. annorum spacio (quot scilicet annis feriæ sive dies hebdomadum in pristinum ordinem redeunt) absolvitur. Ejus usus est, per literam Dominicalem indicare seriem feriarum in singulis septimanis per totum annum. Inventus propter annum intercalarem, quia quarto quovis anno series feriarum turbatur, quæ, septem intercalaribus annis exactis, pristino ordini restituntur. Cyclus Lunæ novendecim annorum spacio absolvitur, quot scilicet annis novilunia ad idem ferè tempus redeunt. Alias dictus Cyclus decennovalis, item aureus numerus ob insignem usum novilunia per totum annum indicandi, itemq; festa mobilia. Indictio comprehendit spacium 15. annorum. Quæ tria cum in hac periodo concurrant, infallibili characterismo ita annum, cui applicantur, designant, signant, ac determinant, ut impossibile sit eundem cum alio confundi. Necenim intra 7980. annorum spacium fieri potest, ut hæc tria unus anno competant. Quamvis autem Cyclus decennovalis à Metone demum tempore belli Peloponnesiaci inventus fuerit, Indictiones autem longè pòst à Constantino Magno institutæ, nihil tamen prohibet, eosdem characteres, ob summum insignem usum, præcedentibus quoq; temporibus adhiberi. Nos in Tabulis utrumq; Cyclum Solis & Lunæ singulis annis apposuimus, ubi modo per pagina spacium licuit.*

Periodus Judaica *artificiosissima, à R. Hillel Hannasi constructa circa annum Christi 344. qua hodie Judæi utuntur pro Epocha Mundi conditi, sed perperam. Non enim est Epocha ἰσοχρονική, sed merè τεχνικὴ & Astronomica, ad methodum Lunæ, Neomenias & Festa Judaica directa, ac multis annis exordio Mundi posterior. Ejus caput est in Autumno. Vide Scalig. Canon. p. 277. & seqq.*

Ab exitu ex Ægypto, *& ædificato templo Hierosolymitano anni intelligendi sunt à Verno tempore, illis ab Aprili, hi à Majo, ut patet ex Exod. 12. & 1. Reg. 6.*

Jubilæi & Sabbatici *septenario numero decurrunt. Septimus enim quisq; est Sabbaticus intens ab Autumno, & septies septimies ex sententia Scaligeri Jubilæus, quem latiùs vide, ut & Calvisium. Durant a possessione terræ Canaan ad excidium Hierosolymitanum. Judæi tamen etiamnum utuntur.*

A Trojano excidio, *anni à Junio menſe, die 16. ut ex Ephoro ernit Scaliger. In noſtris Tabulis annus primus, qui ponitur, intelligendus eſt currere ad Junii 16. diem, inchoatus ſcilicet in præcedentis anni Junio. Sæpè occurrit hæc epocha apud profanos ſcriptores. A Diodoro deducitur uſq; ad tempora tertiæ Monarchiæ.*

Nabonaſſari Æra. *Ejus caput ſeu initium vagatur per totum annum, donec ſpacio annorum 1461. ad primum terminum redeat. Sunt enim anni æquabiles, dierum 365. abſq; intercalatione reſiduarum horarum.*

Anni igitur Nabonaſſarei 1461. faciunt Julianos 1460. Aliter vocantur Ægyptiaci, item æra Nabonaſſari, à Cenſorino & Varrone. Familiares ſunt Ptolomæo, qui eos deduxit ad ſua ſub Antonino Imperatore tempora. Cenſorinus porro ad ſua tempora, annum Chriſti 238. Poſtea mentionem eorum facit quidam Hebræus ἀνώνυμος & anno Chriſti 1191. Et Alfonſina Tabula anno Chriſti 1252. &c.

Primus Nabonaſſari annus à 26. Februarii incipit inde per quadriennia ſingula ob omiſſam intercalationem uno die regreſſus fit. Itaq; annus Nabonaſſari 104. ab ultimo Jan. incipit.

229. *Decemb. ultimo.*
351. *ab ultimo Novemb.*
471. *ab ultimo Octobr.*
590. *ab ultimo Septemb.*
716. *ab ultimo Auguſti.*
840. *ab ultimo Julii.*
964. *ab ultimo Jun. &c.*

Intermedii anni initium ſuum eodem menſe retinent, variatis tantùm per quadriennem regreſſum diebus, ut jam dictum.

Olympiades *initium capiunt à novilunio circa ſolſtitium æſtivum menſe Julio. Quod novilunium ſemper in præcipuum primi anni olympiadis incurrebat. Sequente plenilunio olympicus agon celebrabatur, qui prolocorum diverſitatem in Elide Olympias, apud Phocenſes Pythia, in Iſthmo Iſthmias, in Achaia inter Phliuntem & Cleonam Nemea vocabatur. Decimoſexto die judicium ferebatur de Victoria, ut Scholiaſtes Pindari docet. Plura de horum annorum ratione Scalig. in Emendat. Temp. Quadlibet olympias quadriennium continet, unde Tetraeteris dicitur.*

Iphiti Æra *nihil aliud eſt, quàm olympiadum anni collecti. Ut olympiades decem annos 40. continent. Igitur olympiadis undecimæ annus primus, eſt Iphiti annus 41. Dicitur ita ab Iphito reſtauratore agonis olympici, qui olim à Pelope & ab Hercule inſtitutus per multa ſecula intermiſſus fuerat. Utraj; hæc æra eſt baſis hiſtoriæ Græcæ, apud Græcos & Romanos ſcriptores frequentiſſima. Et perdurat ad tempora uſq; Cenſorini. Vtitur quidem & Socrates Eccleſiaſticus ſcriptor, Olympiadum æra, ſed paulo aliter ac Veteres. De quare vide Scalig. Emend. Temp.*

Romæ ſeu Urbis Conditæ (*hâc notâ* U. C.) *incipiunt ab 21. Aprilis, teſte Solino, cap. 2.*

Septuaginta Hebdomadas Danielis *duplici calculo propoſuit, ne veritas eo modo perſpici poſſet. Scaligeri ſeptimanæ ineunt ab Autumno, ex 1. Hagg. Funcciana à Vere, ex Eſra 7.*

Calippi Periodi *ſunt conflatæ ex 4. cyclis Metonicis decennovalibus. Et inchoantur 28. Junii, in novilunio ſolſtitii æſtivi, quod proximè ſecutum eſt cladem Darii & Victoriam Alexandri ad Arbelam vel Gaugamelam. Sæpè citantur à Ptolomæo. Exactis tribus Calippicis Hipparchus novam conſtruxit ex 4. Calippicis.*

Philippei *à morte Alexandri numerantur, & ſunt prorſus ejusdem formæ cum Nabonaſſareis. Nam 425. ann. Nabonaſſ. eſt primus Philippeus à morte Alexandri, incipiens eum eodem Nabonaſſareo, 12. Novemb. In noſtris Tabulis primum Philippeum in Calendis Januarii ſequentis anni collocavimus, currentem uſq; ad Novembrem, idq; propter comparationem Nabonaſſareorum commodiorem. Vtitur Philippeis Ptolomæus, item Clemens, Euſebius: Cenſorinus, Hebræus ille, de quo ſupra, & Alphonſus in Tabulis, &c. item Albategnius.*

Æra Chaldæorum ſeu Babylonis *mentio occurrit in literis Calliſthenis ad Ariſtotelem, cum ab Alexandro occupata fuit, anno 1903. ſuæ æræ. Initium ejus in annum 18. Semiramidis incidit, ſi retro numeretur, juxta Africanum. Sed juxta Diodorum in regni Aſſyrii initium. Plura de illa non reperio.*

Seleucidarum Æra *non eſt unius generis. Triplex ejus initium apud auctores obſervatum eſt. Itaq; anni Seleucidarum ſunt vel:*

1. Judaici, *à 13. Martii, Verno tempore. Vtitur ut lib. 1. Maccab. & Joſephus. Vocatur à Judæis Minjan Staros, id eſt, Æra contractuum.*

2. Alexandrei vel Antiocheni, *ab Autumno. Vtuntur illi Aſtronomi, Arabes. Albategnius vocat Tereh Dhilkarnaim, id eſt, Æram Bifidi & ſcilicet Alexandri. Arabes eam ab Octobri inchoant.*

3. Chaldaici, *à Vere ſubſequente initium capiunt: Ita ſcilicet ut Antiochenæ anni initium ſumant præcisè inter Judaicos & Chaldaicos medium. Chaldaicis utitur Ptolomæus, & lib. 2. Maccab. Vocantur & Macedonici. Vide Scalig. Can. p. 294.*

Dionyſii Ægyptiaca Æra *à 25. Martii. Concurrit cum initio Philadelphi, quando videlicet vivente adhuc patre rex declaratus fuit. Ptolomæus aliquoties utitur. Et juxta nonnullos, Strach. in præf.*

Maccabæorum Æra *à Juda Maccabæi ſacerdotio & Templi repurgatione, ad Hieroſolymorum expugnationem, annorum 126. numerante Joſepho, cum tamen revera ſint 127. Init. 24 Novemb. die 24. Caſleu. Eſt & alia Haſmonæorum æra à primo anno Simonis, 1. Maccab. 13. Verùm, cùm præter initium nulla illius in Hiſtoriæ extent exempla conſulto omiſimus.*

Tyriorum Æra *ab Euſebio allegatur anno Chriſti 277. & à Concilio Chalcedonenſi. Vide Scalig. Can. p. 295. Plura de illa non reperio.*

Antiochena Æra *à libertate urbis recuperatâ, annis 48. ante æram Chriſtianam incipit. Inveniuntur apud Euſebium bis, anno 2. Probi & 19 Dioeleſiani, apud Evagrium ſæpè, Item apud Cedrenum, Nicephorum.*

Julianus Annus *à correcto ſcil. Julii Cæſaris operâ, Calendario, à Calendis Januarii, ut & Juliana periodus ſumit initium.*

Hiſpanica Æra *itidem a Calend. Januarii. Eſt enim prorſus Juliana, niſi quod ſex annis ſerius in Hiſpaniam introducta. Frequens eſt in Tomis Conciliorum, & antiquis Hiſpaniæ monumentis, ac vocatur ſimpliciter Æra. Deſit in Arragonia anno Chriſti 1358. in Caſtilia 1383. in Portugallia 1415, ubi extincta prorſus eſt, Scalig. in Emend. Temp.*

Anni à cæde Cæſaris *ineunt Idibus Martii. Non longè ſe extendunt. Sient nec*

Anni à Conſulatu *primo Auguſti, qui incepit 22. Sept.*

Actiacæ victoriæ *duplex Æra eſt: Una a pugna ad Actium promontorium, 2. Septemb. ſecut Dio & Xiphilin. numerant. Altera à capta Alexandria & morte Cleopatræ, id quod 29. Auguſti anni ſequentis accidit, integro ferè anno poſt Actiacam pugnam. Utuntur hac æra Ptolom. Joſeph. Euſeb. Cenſorin. Tempore Diocletiani ab ejuſdem æra extincta fuit. Poſteriorem aram etiam Auguſtorum Deorum dicit, Scaliger in Canon. tradit.*

Anni Auguſtorum ſeu Auguſti *à 14. Febr. inchoantur, cùm Octavius in ſenatu Auguſtus appellatus eſt, idem tamen enim Julianis initium habere cenſentur. Sunt apud Cenſorinum, nec alibi inveniæ.*

Æra Laodicenſium, Edeſſenorum, Aſcalonitarum, *allegatur ab Euſebio, anno Chriſti 277. Exempli plura non invenio.*

Æra Chriſtiana *à Calendis Januarii ſumit exordium, ex ſuppoſitione ſcilicet Dionyſii exigui monachi, qui vixit tempore Juſtiniani Imperatoris. Suppoſuit enim ex vulgata ſententia, Chriſtum natum 25. Decemb. Unde Octavius à nativitate diei circumciſionem deſtinatus præcisè in Calendas Januarii incidat, in quibus ille caput ara Chriſtiana ſtatuit. At deprehenderunt noſtrâ ætate eruditiſſimi viri, & quidem primùm nominandus Scaliger, hanc aram Dionyſianam, qua inde à Juſtiniano per totum ferè Chriſtianum orbem recepta hactenus viget, juſto minorem eſſe. Quem defectum Scaliger bienno ferè deſinit: ita ſcilicet, ut primus Æræ Chriſtianæ annus ſit revera tertius à nativitate Chriſti, & ſic deinceps. Statuit autem Chriſtum natum circa initium Octobris, ingeniosiſſimo argumento ex ἐφημερίων, Sacerdotalium ordine & natali Johannis Baptiſtæ, ex eo, cui circumſtantia temporis apud Lucam de excubiis campeſtribus nocturnis paſtorum ſub Chriſti nativitatem, conſonat. Vide Scaliger. ipſum in Emend. Temp. & in Canon. Iſag. item Calviſium.*

Cæterum, paucis ab hinc annis Sculiga Polonus, cùm in hunc inventum Dionyſiana æra defectum inquireret, ſolido illum quadriennio deſinivit. Imo eſt, qui ad quinquennium progreſſus fuerit. Quod non ab re mirum videatur, tot annis aberrari potuiſſe in Æra Chriſtiana conſtituenda. Locum Luc. 3. v. 1. 23. illi ὡσεὶ ἐτῶν intelligunt, ita ut Chriſtus anno Tiberii 15. fuerit revera annorum 32. aut 33. quæ particula ὡσεὶ non præcisè annum trigeſimum determinet. De quare ſtatuat quisq, quod volet.

Agones Capitolini *ad imitationem Olympiadum à Domitiano inſtituti, incipiunt à Calend. Jan. Meminerunt Suetonius, Clemens Alexandr. Cenſorinus, & antiqua Domitiani numiſmata. Onuſr.*

Diocletiani Æra *anno Chriſti 284. incipit à die 29. Auguſti. Vocatur & Æra Coptitarum, id eſt, Martyrum, item Æra Gratia. Utuntur Ambroſius, Epiphanius, Evagrius, Beda, Herm. Contractus. Deſita vulgò uſurpari, anno Chriſti 532. cum Æra Dionyſiana innoteſceret. Sed apud Africanos & Æthiopas Chriſtianos etiamnum hodiè in uſu eſt, Scalig.*

Ab Encæniis Conſtantinopolitanæ urbis. *Non ſatis hîc conveniunt autoribus. Nicephorus ponit Encænia in annum 28. Imperii Conſtantini. (eſſet 332 æra Chriſtiana) ſic Caſſiod. Maria. Scotus in Coſſ. Pacatiani & Mecilis Hilariani, indict. 5. Suidas (veluti citatur) habet annos 362. à Monarchia Auguſti, ſeu victoria Actiaca. Sed Græcum Exemplar Aldinum habet τζ. fortè legendum τζ,360. Cedrenus & Zonaras notant 31. Maji, feriam 2. indict 3. qui eſt annus Chriſti 330. Sic Marcellinus comes ſcribit indict. 5. Coſſ. Mavortio, (qui eſt annus Chriſti 527.) celebratum annum 197. Conſtantinopol. Vide etiam Scalig. emend. Temp. & Canon. Iſagog. Onuſr. habet annum 331. Non eſt æra frequens.*

Indictionum Æra *ſingulis quindecim annis revoluta, à 24. Septembr. incipit. Prima caput eſt in Anno Chriſti 312. die 24. Sept. durans ad 24. Sept. anni Chriſti 313. & ſic conſequenter. Inſtituta fuit a Conſtant. Magno, ſed de inſtitutionis cauſa non conveniunt. Frequens eſt apud Hiſtoric. tùm Græcos tùm Latinos, poſt Conſtantinum Pontifices a Indictiones à 25. Decemb. inchoantur, ut ferè congruant initio annorum Julianorum.*

Hegira ſeu Æra Arabum, vel Turcica, *Anno Chriſti 622. die 16. Julii. Conſtat annis Lunaribus. Utuntur annales Turcici & Saracenici, Alcoranus, Epiſtola Turcica.*

Æra Jezdagird vel Æra Perſica, *anno Chriſti 632. die 16. Jun. Conſtat ſimiliter annis Lunaribus. Meminit Alfraganus, Alcoranus, Arabes, &c.*

Æra Mundi Græcorum *prorſus falſa eſt, ideoq, à nobis omiſſa. Uſus tamen ejus aliquis eſſe poteſt in hiſtoriis Græcorum recentiorum poſt Chriſti nati tempora. Si enim ſubtrahas 5508. de dato ejus anno, habebis annum Æra Chriſtiana, currentem usq, ad Septembr. Ut, Conſtantinus Imperator ſolus rerum potitur anno Mundi Græcorum 6453. id eſt, anno Chriſti 945. ineunte. Initium horum annorum eſt in Autumno. Utuntur Cedr. Nicephor. Zonaras, Chron. Moſcovit. item Eccleſia Orientales & Æthiopica, Scalig. Canon. p. 274. 275.*

Hæ Æræ breviùs ita conſignantur ſecundùm Julianorum Menſium ordinem.

A Calendis *Januarii*
- Periodus Juliana.
- Annus Julianus.
- Æra Hiſpanica.
- Æra Chriſti Dionyſiana hodierna vulgata.
- Agones Capitolini.

A *Februario* Anni Auguſtani, 14. Februarii.

A *Martio*
- Æra Seleucidarum Judaica & Chaldaica, 12. Mart.
- Dionyſii Mathematici æra, 25. Martii.
- A cæde Cæſaris, 8. Martii, item 70. Septimanæ Danielis, juxta Funccii ſententiam.

Ab *Aprili*
- Anni exitus ex Ægypto, 15. Aprilis.
- U. C. ſeu Romæ.

A *Majo*
- Anni Templi Hieroſolymitani, 6. Maji.
- Anni Encæniorum Conſtantinop. 11. Maji.

A *Junio*
- Anni Trojani excidii, 22. Junii.
- Calippicæ periodi, 28. Junii.

A *Julio*
- Olympiades & Iphitea Æra. A noviluvio, in quemcunque diem inciderit.

Ab *Auguſto*
- Actiaca Victoria, captâ ſcilicet Alexandriâ, 29. Auguſti.
- Diocletiani Æra, 29. Auguſti.

A *Septembri*
- Æra Seleucidarum Alexandrea vel Antiochena.
- Anni à conſulatu Auguſti, 22. Septembr. Item Actiacæ victoriæ, altero calculo, 2. Sept.
- Indictiones 24. Sept. Item LXX. ſeptimanæ Danielis. Et Æra Mundi Græcorum.

Ab *Octobri*
- Anni Mundi.
- Jubilæi & Sabbatici.
- Periodus Judaica.
- Æra Seleucidarum Alexandrea, prout Arabes utuntur.

A *Novembri*
- Æra Maccabæorum à repurgato Templo 25. Novemb.

Cæterarum initium aut vagatur per totum annum (ut Nabonaſſarea, Philippea, Hegira, Jezdegird, &c.) aut eſt ignotum. Quod ad alias particulares epochas Bellorum aut Regnorum attinet, de illarum initiis diſſium eſt in ipſis Tabulis, quæ modo à me potuêre reperiri.

III.

DE REGNIS ET DYNASTIIS.

PRæcipua Regna & Imperia, quæ ab orbe condito ad hæc usque tempora floruiſſe apud Hiſtoricos certâ ſerie leguntur, congerere ſtudui: & per Dynaſtias (quibus intelligo inſignes in regno, ſive familiarum, ſive politiæ mutationes,) ad imitationem Manethonis Scaligerani, diſtinxi: ac ab initio ſingularum, quantum fieri potuit, Origines ac rationes expoſui, prolixior etiam futurus, ſi per ſpacium paginæ licuiſſet. Inprimis optabam, Principum Romano-Germanici Imperii familias ac dynaſtias omnes eâdem methodo concinnari potuiſſe. Verùm anguſtia paginæ votum negavit.

De Ægypti Dynaſtiis in ſyſtemate dictum, quòd longè exuperent epocham conditi Mundi. Quia tamen continuâ ſerie à prima ſui origine ex Archivis Ægyptiacis à Manethone erutæ ſunt, & regnum iſtud vetuſtiſſimum eſſe conſtat, meritò ad conſervandum hoc Antiquitatis monumentum in Chronologico κατ' ἐμφασιν Syſtemate, omnes Dynaſtiæ recenſentur, ſicuti Scaliger propterea novam Periodum poſtulatitiam temporis ἐποχικοῦ iisdem ante Mundi tempora attribuit. Idem judicium de dynaſtiis Aſſyriorum, ultra annum Diluvii excurrentibus. De Archontibus Athenienſium hoc addo, eorum annos & dynaſtias à temporibus olympiadum olympiadicorum annorum menſuram numerandas, nempe ut à menſe Julio ſumatur initium. Quæ cauſa fuit, ut cùm ad Charopem primum archontem decennalem, & ad ſecundum annum Æſchyli, quo olympiades cœperunt, ſeries præcedentium dynaſtarum Athenienſium non congrueret, interregnum unius anni interjicere auſus fuerim, nempe inter ultimum Codri ultimi Regis, & Medontis primi Archontis perpetui initium: quo loco commodiſſimum videbatur. Atque hoc feci non ſine exemplo. Conſiderari item poteſt, quomodo præcedentes Athenarum Reges ordinandi ſint, ut primus Demophoontis in annum primum excidii Trojani incidat, quos annos concurrere apud Clementem vetuſtus auctor prodidit. Amplius enim tentare absque vetuſto auctore equidem nolui, neque verò decebat. Nam eonomine non abre tam graviter Euſebium Scaliger reprehendit. Eſt & ubi ejusdem Regni aut Dynaſtiæ duplicem ſeriem ex diverſis auctoribus propoſui, ut vides in Judicibus Hebræorum, in Atridis, in Ægyptiorum dynaſtia 18. in Weſt-Gothis, &c. ut ex hac collatione, quid vero magis conſentaneum, quilibet conſiderare poſſit. Porrò ut conſpici poſſit, quomodo Ethnicæ hiſtoriæ cum Sacra conveniant, præcipuos Reges, quorum in ſacra Vet. Teſtamenti hiſtoria mentio fit, huc colligam. *Ægyptiorum:* Pharao (commune regum nomen) Exod. 1. & ſeqq. uſque ad 12. *Siſac* tempore Salomonis & Rehabeami, 2. Reg. 13. & 14. *Zara Æthiops*, ab Aſa victi, 2 Paral. 12. v. 9. *So* vel *Sua* tempore Ezechiæ & Hoſeæ, 2. Reg. 17. *Taraca*, Eſa. 37. *Necho*, qui occidit Joſiam, 2. Reg. 23. Paralip. 35. Herod. l. 2. nu. 67. *Apries*, Jer. 44. ult. Facit & Joſephus Vaphris mentionem tempore Salomonis. *Aſſyriorum: Teglath-Phineſer, Phul*, 2 Reg. 15. *Salmanaſſar*, 2. Reg. 17. *Sennacherib*, tempore Ezechiæ, 2. Reg. 18. Herod. l. 2. nu. 63. 64. *Merodach*, 2. Reg. 20. *Nabopollaſars* annus 30. Ezeeb. 1. v. 1. *Nabuchodonoſor*, paſſim. *Evilmerodach*, 2. Reg. 25. Sequentium Regum, in Daniele. *Tyriorum: Hiromi* 1. Reg. 5. *Ethbaal*, 1. Reg. 16. *Perſicorum* Regum, in Daniele & Eſdra, Haggæo, Zacharia. Eſt & men. io *Syrorum*, ſed de iis nihil in Ethnica hiſtoria.

IV.

DE VIRIS CELEBRIBUS.

ET quoniam multum ad ſolidam Hiſtoriarum cognitionem facit inſignium virorum ſive ob virtutes ſive ob ſceleра celebratorum Synchroniſmus, illis quoque, qui in regum aut dynaſtarum numero non comprehendebantur, peculiarem Columnam attribui, & ſingulis ſtatim autores addidi, ex quibus conſtet eo tempore, quo collocati ſunt, vixiſſe. Atque ut omnia eò diſtinctiora fierent, in rebus Eccleſiæ Patres ab Hæreticis ſeparavi, poſterioribus etiam ſeculis Diſciplinarum cæterarum genera diſtinxi, ut à Medicis & Philoſophis, Juriconſulti peculiari columna diſcerni poſſent. Quorum quidem, ut & legum Romanarum hiſtoriam omnem, è Val. Forſteri hiſtoria Juris Civilis deprompſi, atque ideò nullum auctorem ſppoſui, quòd omnia unius eſſent. In poſtrema Centuria potiſſimùm ſecutus ſum Annales Polychronios Auguſtini Brunii. Rabbini utplurimum ſunt ex Seder Olam & Zemach David. Si qui veterum omiſſi fuerint, (viventes enim hodiè quis ignorat?) eorum aut certum tempus invenire non potui, aut ſi nihil admodum memorabile poſteris reliquerunt, aut denique diligentiam illi meam effugerunt, id quod in tanta perſonarum multitudine ac varietate, & tam vaſto temporum ambitu nemo mirabitur.

V.

HISTORIÆ APPOSITÆ.

NOn plenè satisfaciet sola Epocharum inter se comparatio, nisi & præcipuæ historiæ ceu metæ & limites Chronologici Systematis adjungantur. Illas igitur addidi, interdum prolixiùs, ubi per paginæ spacium licuit, interdum parciùs. Neque enim in hac tabularum angustia quisquam requiret historias omnes, cum id vastorum voluminum opus sit. Sufficit igitur celebriores historias, quibus complexus universalis historiæ continetur, uno & altero verbo ceu digito annotasse, è quibus cæteræ particulares dependent. Quòd non omnes ex voto nostro apposuimus, reprehendere nemo poterit, qui consideraverit juxta præscriptum paginæ agendum fuisse, & quæ jam consignata fuerant, in præli gratiam fuisse cum tædio sæpe delenda. Regum nihilominus & Imperatorum, cæterorúmque virorum celebrium nomina, seriem historiarum in animo dirigent.

VI.

AVTORVM NOMINA.

MEritò desiderat hoc Scaliger in Eusebio, quòd nomina auctorum, è quibus historias in Chronicon suum transtulit, non apposuerit. Fidem enim plenam mereri non videtur, quod auctore caruerit. Operam igitur dedi, ut ubi cunque potui, & ubi opus videretur, rei gestæ, nomen Autoris adjungerem: diligentior futurus, si omnium auctorum, quos tàm ampla materia requirit, copia hoc quidem tempore fuisset. Nam sæpè alienam allegantis fidem sequi oportuit.

VII.

ECLIPSES.

VEre bases & munimenta Chronologiæ Eclipses sunt, characteres prorsus infallibiles. Ut igitur in hisquoque Tabulis evidenter conspici possent, cùm aliàs locus conspicuus non esset, in prima columna anni Mundi signo Solis ☉ ac ☽, prout Eclipsis vel Solaris vel Lunaris ab auctoribus annotata fuit, illas collocavi. Hic verò è Calvisii supputatione & aliis collectim eas, quæ ad Chronologiam faciunt, cum authorum nominibus propono.

Annus Mundi.		Nomina autorum & ab iisdem annotatæ Epochæ, &c.
3180	☉	*Tempore conceptu Romuli & Remi, Plutarch. Romul. Varro ex Tarrut. Dionys. lib. 1.*
3229	☽	*Anno 1. Merodachi, Ptolom.*
3230	☽	*Anno Nabonass. 28. Ptolom.*
3235	☉	*Anno mortis Romuli, Cic.*
3329	☽	*Anno 5. Nabopollasari, Anno 127. Nabonassari, Ptolom.*
3343	☉	*tempore Cæsaris à Thalete prædicta.*
3365	☉	*a Thalete prædicta, Solin. Plin.*
3367	☉	*Plin. putat eandem esse cum præcedente.*
3427	☽	*anno 7. Cambysis, anno 225. Nabonass. Ptol.*
3448	☽	*anno 20. Darii, anno Nabonass. 246. Ptol.*
3459	☽	*anno 20. Darii, anno 257. Nabonass. Ptol.*
3469	☉	*in apparatu Xerxis, Herod. lib. 7. n. 174.*
3470	☉	*ante pugnam ad Platæas, Herod. l. 9. n. 224.*
3519	☉	*anno 1. belli Peloponnesiaci, Thucydid.*
3526	☉	*anno 8. belli Peloponnesiaci, idem.*
3537	☽	*Diodor. Sic. lib. 13. Thucyd. cum Athenienses ingenti clade affecti in Sicilia.*
3546	☉	*in fine belli Peloponnesiaci, Xenoph.*
3567	☽	*Anno Nabonassari 366. Ptolom.*
3568	☽☽	*dna Eclipses anno Nabonass. 367. Ptolem.*
3619	☽	*Plin. lib. 2. cap. 72. Diodor. Curt. l. 4. Plutarch. Alex. Arrian. l. 3. Ante prælium Alexandri cum Dario ad Arbelam.*
3733	☉	*Liv. dec 2. vide & Polyb. 5.*
3748	☉	*Livius lib. 10.*
3749	☽	*anno Nabonassari 547. Ptolom.*
3750	☽	*anno Nabonass. 548. idem.*
3760	☉	*Livius, lib. 37. cum Scipio Româ cum exercitu movet.*
3776	☽	*anno Nabonass. 574. Ptolom.*
3782	☽	*tempore victi Persei, Livius.*
3905	☽	*Eclipseus circa tempus occisi Cæsaris Plinius meminit, lib. 2. c. 30. Jul. Obseq. Virg. 1. Georg.*
3949	☽	*Joseph. c. 7. 8. Hanc Eclipsin Keplerus refert ad annum 3946.*

Anni Æræ Christianæ.		
33	☽ ☉	*Luc. Evang. cap. 23. tempore passionis Christi. Item Matth. 27. Marc. 15. Phlegon. apud Eusseb.*
45	☾	*Dio lib. 60.*
59	☾	*Plinius lib. 2. c. 12.*
125	☽	*anno 9. Adriani, Ptolom.*
133	☽	*Ptolom.*
134	☽	*Ptolom.* } *Vide exempla Æræ Nabon. paulo infr.*
136	☽	*Ptolom.*
237	☾	*Scalig. & Buntung.*
238	☾	*anno primo Gordiani, Coss. M. Ulpio Crinito & Proculo Pontiano, Jul. Capitol. Buntingus hanc autumat ad præcedentem annum pertinere.*
304	☽	*Historia Ecclesiastica.*
334	☾	*Coss. Publilio Optato & Amneo Paulino, Macrin. Firmic.*
347	☾	*Marian. Scotus & Hieron. in Chronic. Cedr.*
359	☾	*Ammian. Marcell. lib. 20.*
360	☾	*Amman. Marcellin. lib. 20.*
364	☽	*Amm. Marcell.*
393	☾	*Amm. Marcell. Prosper, Hieron. epist. alterius cujusdam Eclipseos mentionem facit.*
404	☾	*Gigas in florib.*
417	☾	*Cent. & Marcell.*

538 ☌ *Vigornienſ.*
540 ☌ *Beda in Epitom.*
592 ☌ *annales Conſtat. lib. 17.*
650 ☌ *Beda Tom. 2.*
664 ☌ *Beda de tempor. & Anglic. hiſtor. lib. 3. cap. 27.*
683 ☽ *Regino, Cent. Eccleſ. Magd. indict. 12. Item Marian. Scot.*
693 ☌ *Anno 9. Juſtiniani Imp. Paul. Diacon. l. 19. rerum Rom. Cedren. Sigeb.*
716 ☽ *Marian. Scotus, Platm. Sabellic. tempore Gregorii II. Papa.*
733 ☌ *Beda, Wigorn. Chronicon. Querfurtenſ.*
753 ☌ ☽ *Beda appendix.*
760 ☌ *Anno 20. Copronymi, Annal. Conſtant. lib. 12. Diacon. lib. 22.*
764 ☌ *Autum. Herm contract.*
777 ☌ *Anno ante caſum Rolandi, Turpin. Rhem.*
787 ☌ *Anno Conſtantini 7. Cedren.*
806 ☽ *Annal. Francic.*
807 ☌☌☽ *tres eclipſes. Annal. Franc. Regino.*
809 ☽ *Regino.*
810 ☌☽☽ *tres eclipſes, Regino, Urſperg.*
813 ☽ *Eginhard.*
817 ☽ *Annal. Franc.*
828 ☽ *Annal. Franc. Mercator.*
831 ☽☌☽ *Annal. Franc.*
832 ☽ *Annal. Franc. vide & Sigeb. & Rud. Nov.*
840 ☌ *Annal. Franc. Marian. Scot. Fortal. Fider.*
841 ☌ *Annal. Franc.*
878 ☽ ☌ *Regino abb. Marian. Scotus.*
880 ☌ *Sigebert.*
883 ☽ *Albategni Arabs, Aſtron.*
887 ☌ *Cedren.*
891 ☌☽ *Albategni.*
901 ☽ *Albategni.*
944 ☌ *Sigebert. Eodie, quo rex Hiſpania vicit Addaram Saracenum.*
961 ☌ *Herm. Contract. Regionis appendix alium diem nominat.*
990 ☌ *Centur. Eccleſ. Chron. Quedlib.*
1033 ☌ *Hermann. Contract. Urſperg.*
1037 ☌ *Rudolf. Glab.*
1039 ☌ *poſt mortem Conradi Imperatoris, Glabr. Urſperg.*
1093 ☌ *Trithem. Urſperg.*
1096 ☽ ☽ *Pariſienſ. Sigebert. Urſperg.*
1117 ☽ ☽ *Matth. Pariſienſ. Mariani appendix.*
1124 ☌☽ *Mercator Urſperg.*
1140 ☌ *Pariſienſ.*
1147 ☌ ☌ *Centur. Sigebert. Item 1149. ☽. Sigebert.*
1154 ☽ *Sigebert, Urſpergenſ. aliam ponit 1. Octob. ſed refragatur calculus.*
1155 ☽ *Sigeb. appendix.*
1159 ☌ *Sigeberti appendix.*
1160 ☽ *Radevic. Lycoſthen.*
1176 ☽☽ *Ger. Mercator.*
1179 ☽ *Sigeb. appendix.*
1180 ☌ *Sigeb. appendix.*
1186 ☌ *Mechov. lib. 3. cap. 26.*
1187 ☽ ☌ *Bonfin. Vincent. ſpe, Ger. Mercator, Sequenti die naſcitur Ludovicus F. Philippi Galliæ regis.*
1191 ☌ *Matth. Pariſienſ. Albericus, Palmer. Naucler.*
1204 ☽ *idem, Albericus. Item 1207. ☌ Naucler. Urſperg.*
1208 ☽ *Pariſienſ.*
1218 ☽☽ *idem, Alberic.*
1230 ☌☽ *Pariſienſ.*
1239 ☌ *idem.*
1241 ☌ *Alberic. Georg. Fabric.*
1248 ☽ *Pariſienſ.*
1255 ☽☌ *idem. Item 1263. ☌ Mechov. lib. 3. c. 55.*
1267 ☌ *Niceph. Gregor. Item 1274. ☽ Mercat.*
1276 ☽ *Baleus. Item 1279. ☌ Mercat.*
1290 ☌ *Spangenberg.*
1310 ☌ *Idem. Mechov. lib. 4. c. 13. Martin. Pol.*
